



Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

35. Actus voluntatis deliberatae necessarius, est in potestate & dominio voluntatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

obinet, etsi difformem statum. In Deo per naturam constantiam, in beatis per gratiæ beneficium ad bonum semper determinatum est, in damnatis ad malum, cum tamen neutris quicquam de illa libertate, à qua dictum est liberum arbitrium detrahatur. Rursum in Angelis & primo homine viatore indifferentissimum fuit ad bonum & malum; in hominibus lapsis viatoribus teidem indifferentibus, sed longe minus; utpote qui vident aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivam eos in lege peccati. In Christo Domino viatore, nullo pacto ad malum flexi potuit: ita fit ut liberum arbitrium pro naturæ cuiusque, vel ordinis divinitus instituti, vel meritorum diversitate, diversum statum forjariar, in quo ad diversa actionum genera potestas, promptum & expeditum fiat, citra tamen ullam ipsius liberi, seu formalis rationis libertatis varietatem. Eadem quippe ratio libertatis in omnibus istis actionum & cessationum generibus dominatur, sive voluntas ita in alteram partem fixa sit, ut non possit velle nisi vel tantum bonum; vel tantum malum, vel ita indifferentis, ut adhuc in utramque partem flexi queat. Hoc est enim in omnibus liberum quod habent in sua potestate, hoc est, quod fit cum voluntate, sive sit bonum duntaxat, sive malum, sive utrumlibet, sive sit ad agendum, sive ad cessandum, sive ad utrumlibet. Fortitudo enim & amplitudo liberi arbitrii peccatis aut benefactis ita amitti potest, ut quaedam actio-

num & voluntatum genera non possit, quæ ante poterat, aut possit quæ ante non poterat, atque ita ad plures actiones extendatur aut contrahatur: ipsa tamen libertas arbitrii amitti non potest, quamdiu vigente rationis consideratione, vel bene, vel male tantum, vel utrumque facere potest. Quamobrem quando Scripturæ, vel Patres, vel Concilia indifferentiam illam agendi boni & mali, & arbitrii flexibilitatem ad utrumlibet partem urgent, anajudicant, aut provocant, per quam videlicet possimus si volumus bene vel male vivere, velle vel nolle, divinæ inspirationi liberè consentire, eamque abijcere, Deo vocanti consentire vel dissentire, certum liberi arbitrii statum respiciunt, cui hujusmodi flexibilitas propria & semper præsto est, non autem quasi continuo non esset liberum quicquid hujusmodi flexibili in utrumlibet potestate caret. De quibus tamen locutionibus alibi, cum ad concordiam gratiæ & liberi arbitrii ventum fuerit, plura dicturi sumus; quo videlicet pacto hoc ipso verè sunt, quatenus etiam tum cum alterum eorum facit, potest non facere, quantumvis ad alterutrum, sive per gratiam, sive absente gratiâ per concupiscentiâ determinetur.

Difficultas quæ moveri posset, quod ista doctrina Patrum Calvinii opinioni concinat, oportunitus etiam reservabitur alteri loco, ubi gratiæ concordia cum libero arbitrio, juxta sancti Augustini principia demonstranda est.

CAPUT XXXV.

Actus voluntatis deliberatæ necessarius, est in potestate & dominio voluntatis.

SED potissimum hic difficultatem facit, quod actus illius voluntatis, qui solâ libertate à coactione liber fuerit, non videamur esse domini, nec eum habere in nostra potestate, quod ad actum liberum omnino necessarium est. Nam ut Augustinus de libera voluntate dicit: *Nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas sita est.* Quo vero pacto intelligi potest, quod nihil actum in nostra potestate habeamus, & ejus domini simus, à quo propter volendi necessitatem abstinere non possumus? Illius quippe Domini videmur duntaxat esse, quod facinus, & non facimus, quando lubet. Accedit quod in hujusmodi actu potius agi quam agere videamur. Hoc autem repugnare libertati arbitrii extra controversiam est. Omnium enim Doctorum judicium est, voluntatem liberam se ipsam agere & movere, & in hoc à brutis pueris, insensatis, agens liberum distinguitur. Prima hujus objectionis pars nonnullis antiquioribus Scholasticis qui illum Augustini locum citaverunt, hallucinandi causa fuit, posterior illis qui magis Aristotelis Philosophiæ dediti sunt.

Itaque ad priorem respondeo, non rationis illius vim, sed imaginationis imbecillitatem

esse causam, ut homines in percipienda voluntariorum actuum libertate fallantur. Nam intuentes omnes actiones hominum quas imperatas dicimus, & magis notæ sunt, nullam eorum omnino liberam esse vident, nisi quam possumus facere & non facere, quando volumus. Simulatque enim actio vel cessatio actionis non sequitur nostram voluntatem, hoc ipso est extra nostram potestatem adeoque libertatè. Omnibus enim à natura indita est illa notio qua liberum dicitur, quod fit cum volumus, non fit cum nolumus: ita ut regula omnis libertatis, quæ in actionibus imperatis quarumcumque facultatum reperitur, sit ipsum velle, cui nisi mox adsit actio cuiuscumque potentia, vel cessatio actionis, mox etiam actio illa vel non actio, castillos libertatis egreditur. Quod in petulcis illis imaginationis, concupiscentiæ, genitalium motibus, in intellectus nutibus, quibus clarè assentit veritati, & quibuscumque sensuum, vegetativæ facultatis, adeoque externis actionibus, vel cessationibus apertissimum est hoc ipso namque quod nobis volentibus non sequuntur, vel nobis nolentibus proliunt, extra potestatem nostram sunt, & ideo quoque extra libertatem. Ex quo fit ut etiam Tullius, solo naturalis Philosophiæ lumine

Est. 3. de lib. arbit. c. 3. & 1. Retract. cap. 9.

De gra. Christi, lib. 2. c. 14.

De lib. arbit. c. 14.

lumine instructus dicat: *Quid est enim libertas?* *Poteskas vivendi ut velis.* Ecce velle statuitur velut immobilis norma libertatis. Quicquid enim amplius potest ut quippiam agamus vel non agamus, patiamur vel non patiamur, quam velle nostrum, istud funditus destruit hoc ipso illius actionis vel cessationis libertatem. Vnde adjunxit idem: *Nec est ulla res quæ plus apud eum polleat, quam ipsius voluntas atque iudicium.* Et hinc protectæ sunt illæ quas ante delibavimus doctissimorum virorum definitiones, quibus liberum arbitrium per potestatem faciendi quod volueris, vel inclinandi se ad quos volueris actus, vel aliquid quod equipolleat, descriperunt. Sic enim optimè & ex Augustini quoque mente expresserunt illud dominium liberi arbitrii super actus nostros liberos hoc ipso quo illos ita in voluntatis potestate statuerunt, ut illos faciat vel non faciat, cum placuerit.

Cum igitur illa potestas agendi & non agendi, quam libertatem seu indifferentiam contradictionis vulgo dicimus, in omnibus actionibus imperatis, libertatis arbitrio subiectis, valde manifesta sit, perreperunt ad ipsum cubile libertatis, voluntatem sive volitionem, & ibi similem indifferentiam semper & ubique necessariam esse iudicarunt, respectu cuiusque motus liberi. Cum enim hoc habeat definitio actus liberi, ut eum agamus & non agamus, quancumque voluerimus, ita ut cum indifferentia contradictionis operemur (nam indifferentia contrarietatis iudicio quoque Scholasticorum parvi momenti est, & in solis viatoribus, propter alias causas quam libertatis, locum habet, & semper in usu suo indifferentiam contradictionis involvit) fieri non posse censuerunt ut id quod libertati essenziale est, ab ullo actu libero separetur. Rectè hæc tenus. Sed in eo imaginandi imbecillitas & imbecillitatis error est, quod quemadmodum illam contradictionis indifferentiam que in omnibus actibus imperatis licet, voluntatis iussu metiuntur, eum ad nutum eos laxando vel cohibendo, substat, ita motuum volendi libertatem, alia voluntate quam seipsa metiri volunt; ut sic videlicet in metienda libertate volitionis, nunquam in ipsa illa volitione maneamus, sed sine fine sursum semper ad alteram priorem ascendamus, ratione cuius hæc postrema sit libera, dum priorem sequitur, aut non sequitur, prout iusserit aut vetuerit. Iste imaginandi modus, citra dubitationem, in Augustini principijs, secundum quæ hic semper loquimur, falsus est. Voluntas enim, hoc est, volitio deliberata, de qua sola tractamus seipsa libera est, & contradictionem implicat non esse liberam, quia sit cum volumus, non sit cum volumus, non alia volitione sed seipsa. Nec est vitiosus aut nugatorius iste libranda libertatis modus. In illum enim necessario inciditur, cum ratio essentialium petitur. Essentialium quippe non datur ratio. Velle autem & nolle, essentialiter liberum est, quod subtilissime Ioannes Scotus vidit, & rationem à priori dat,

si tamen aliqua dari potest. Nam rogatus, cur grave non eque liberè se movet, quam voluntas ad illud velle suum quod causat necessario, respondet: *illa causatio gravitatis est naturalis, ista libera, quia hoc est hoc, & istud est istud.* Nam esse forma & modus essendi, agere & modus agendi sunt immediata. Quod est ipsissimum quod hic cum Augustino de essentiali libertate voluntatis, quantumvis necessaria, asserimus. Itaque sicut Scholastici, quando audiunt Synodum Tridentinam dicentem, voluntatem posse dissentire se veli, & Augustinum, hominem Deo vocanti posse consentire si velit, putant & rectè putant, significari humani arbitrii libertatem, sic etiam intelligunt eadem prorsus ratione, libertatem indicari, si diceretur voluntas posse velle si velit, posse non velle si velit. Nam quid est posse consentire nisi velle? Quid est dissentire nisi non velle? Si ergo phrasæ istæ infallibiliter demonstrant humani libertatem arbitrii profecto liberum erit arbitrium, etiamsi immutabiliter velit aut immutabiliter nolit. Facit enim illa si vult, eodem modo sicut consentit si vult. Siquidem omnis voluntatis deliberatæ motus essentialiter quoque talem indifferentiam contradictionis quodam sensu, secum trahit. Nec enim aliud est ista indifferentia libertatis, quam tantopere Scholastici admirantur, quam potestas agendi & non agendi ad libitum voluntatis, seu cum voluerit. Quod si voluntas forte vel agere vel cessare nolit, & firmiter nolit, & immutabiliter nolit, vel è contrario, agere velit & firmiter velit, & immutabiliter velit, quodnam hic fingi potest detrimentum libertatis? Cum hæc ipsa firmitas libertatis sit exercitium, ac testimonium libertatis ejus, & hoc est quod acutissimè vidit & profundissimè divino suo ingenio penetravit Augustinus, cum toties adversus obtusiores hominum imaginationes inculcavit, hoc esse in nostra potestate & liberum, quod cum volumus facimus. Et ne quis ab illa regula libertatis voluntatem ipsam seu volitionem excluderet, ratione cuius in nostra potestate & liberum nobis est, quicquid liberum est, statim adijcit & crebrò repetit: *Quapropter nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas, hoc est, volitio.* Et quare tandem Doctor sanctissime, cum teipso iudice & Magistro quædam sint perpetua & immutabiles voluntates in Deo & Angelis bonis ac malis quæ cum mutari aut cessare nequeant, non videntur amplius esse in eorum potestate? Ea enim, respondet ipse, prorsus nullo intervallo mox ut volumus præsto est. Et rursum: *Non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus sit, ubi prius & maxime est ipsum velle.* Sine ulla quippe intervallo temporis præsto est voluntas ipsa cum volumus. Si præsto est cum volumus, & non præsto est cum nolumus, ergo libera est nobis. Si vero perpetuo & stabiliter velit, perpetuo & stabiliter præsto est, perpetuo & stabiliter libera est, tantoque liberior, quo magis inseparabiliter præsto est cum volueris, divinæque & genuinæ voluntatis libertati confimilior. Quemadmodum enim voluntas

rationes habet volendi aliquid, sine periculo
liberatis, ita nonnunquam rationes habet
fixe volendi & nunquam mutandi sine peri-
culo liberatis. Non minus enim continuatio
& stabilitas & non mutatio voluntatis seu vo-
litionis, quam ipsa prima voluntas libera est:
& ita in potestate habet diu, stabiliter, & sine
mutatione velle, quam velle. Quid ergo con-
querimur de libertate voluntatis immutabi-
lis, si ipsa sapientissima, plenissimaque volun-
tate mutari nolit? Tantaque non mutandi
caulis in aeternis. Dei rationibus contem-
por aut nihil stultius iudicans, quam desistere,
voluntatis firmitate mutari nolit, & semper
volendo mutari non possit? Quasi vero delu-
toria ista volendi inconstantia, quam in nobis
expesimur, perfectioni liberae voluntatis quic-
quam conferat, cum sit non liberatis, sed
aegritudinis animi certissimum argumentum.
Oritur quippe partim ex imperitia rationum
& circumstantiarum omnium, propter quas
aliquid prudenter amplectendum est, partim
ex inconstantia non perseverandi in eo quod
prudenter amplexi sumus, quarum altera facit
ut prae rem voluntatem iusta ratione, altera,
ut sine iusta ratione mutemus. Si enim nova
lux oritur, quae ante latuit, voluntas impru-
dens vel mutari vel cessare debet; si non oritur
voluntas prudens, ut mutari nec cessare debet.
Quae duo vitia quemadmodum abluunt Deo, si
beatis quoque creaturam voluntatibus detraxe-
rit, sicut perpetua agendi vivacitate vigent, ita
in imperitiam & inconstantiam labi nequeunt,
immutabilis & incessabilis erit voluntas bona,
& eadem semper libertate libera, qua primum
voluit, & amavit id quod prudenter & con-
stanter & incessanter volendum & amandum
esse iudicaverat. Sic fit & voluntas aequitatis,
quae Deus noster est, & voluntas iniquitatis,
inammissibilis & incessabilis. Propter easdem
quippe rationes, quibus aequitatem super om-
nia & in omnibus & semper prudentissimam
iudicio sibi diligendam constituerant, tor-
pore & inconstantia & imperitia liberati, can-
dent aequitatem suam per omnia, in omnibus, &
semper diligunt, nec umbram rationis ecul-
gum vident, propter quam abrupterent il-
lam quam prudentissimam libereque inchoave-
rant voluntatem. Praesto est illis ergo volun-
tas ista quam volunt, & quantum volunt, &
quantum volunt: & quia multum volunt, &
semper volunt, & nunquam desistere volunt,
hinc semper, in nullo temporis intervallo, est
praesto eadem voluntas, hinc semper & maxime
omnium est in eodem dominio & potestate,
hinc semper & maxime libera. Sed quia nihil
in hac vita opinio simile experimur, hinc nos-
seor quis nobis scrupulus emper manet,
quod voluntas beatorum impetu quodam qui
cohiberi voluntate nequeat, in clare visum fer-
ratur aut rapiatur. Deum, atque ita libertas
voluntatis auferatur. Veruntamen si quis hu-
manas voluntates diligenter attendat, videbit
luculentam veritatis istius expressa vestigia. Sta-
tuamus enim virum tanta sanctorum subli-

mem, quanta quinquam in hac vita fuisse vi-
dimus vel audivimus, vel extra claram visio-
nem Dei esse posse cogitamus: qui praeter-
quam quod naturali corporis, atque animae
constitutione, ebrietatem aversetur, virtutis
insuper magnitudine foeditissimum, istud vi-
rium instar, mortis abhorreat. Si quis à tali
viro quareret, utrum se inclinare posset, re-
sponderet utique possem, si vellem. Sed si ul-
terius indet, velis igitur & facias; nunquam
animum quibus semperque promissis blanditijs,
rationibus, minisque provocatum eod aduce-
re posset. Nec tamen id quod sentiat bruto
in contrarium impetu rapi voluntatem, sed
quia tanta absurditatis, foeditatis & impieta-
tis istud flagitium ei videtur, ut nisi mens ei
passione vehementissima tolleretur, nunquam
posset se ipsum ex nolente volentem facere.
Ita tamen ei semper videtur, & sic revera est,
quod hoc posset perpetrare si vellet. Sed nun-
quam rationes volendi invenit, & ideo pru-
dentem istam voluntatem mutare non potest.
Ideam & simili prorsus modo in caelo accidit.
Posset enim volitionem suam mutare si vel-
lent (quia sentiant non se aliter nisi pruden-
tissime volendo ferri, quod velle, non aliter
nisi per, nolle, mutatur) sed ratio mutandi
nulla praesto est, & ideo nunquam mutare vo-
lunt, quae volitio mutationis, quia semper
cum nolunt praesto est, & maxime semper pra-
sto est, hinc maxime quoque est in eorum po-
testate, & maxime libera. Quae consideratio-
ne videtur dixisse unum Scholasticum Theolo-
giae lumen, sanctus Thomas, *Erri sempiterna &
libera electio*, respectu amoris beaifici. Et al-
terum Ioannes Scotus, *Voluntas respectu eius-
demque actus est libera, & à nullo obiecto necessita-
ta*. Et alibi: *Voluntas elevata non necessario su-
bitur, quantum est ex parte sua, necessitate scilicet
naturae quam repugnare docet voluntati*.
Sed hoc est quod fallere videtur cogitantes,
quod quia beatos ab ista felicissima voluntate
desistere non posse vident, nescio quo illos
pondere libertatem praepediente ferri imagi-
nantur, ut quaedam quasi naturalis necessitas
oriatur, quae voluntate sisti vel abrumpti ne-
queat. Sed imperfectus & falsus est iste ima-
ginandi modus. Cum enim iuxta Augusti-
num, hoc tanquam ratione & arbitrio praediti
posse dicamur, *quod nostram sequitur voluntatem*,
& iuxta Anselmum, *omni potestas*, scilicet ra-
tionalis, *sequatur voluntatem*. Si enim non sub-
reliquatur voluntas, non est potestas, sed necessitas.
hinc fit, ut illo sensu etiam abruptio seu cella-
tio illius voluntatis sit in potestate, quia fit
eum volunt. Sed si non velint, defectus ori-
tur ex voluntate, non potestate. Quae solutio
quamvis Augustini sit, si tamen alicui necdum
faciat satis, scias ille, quod sicut ipse omnis
omnino voluntas iuxta naturam voluntatis ex
aliqua delectatione profisciscitur, sine qua
praecunte esse non potest, ita quoque stabilitas
voluntatis ex eadem delectatione nascitur.
Quod enim vinculo voluntas primo in ob-
jecto amandum figitur, illo eodem necitur
& ita

Handwritten marginal note in the left margin, possibly a library or ownership mark.

Small handwritten notes and references in the right margin, including '1. Scythi' and '2. Cor'.



& ita alligatur ut neque ad momentum ab-
rumpi aut diverti velit. Quod certissimum esse
deprehendit quisquis attente profundèque si-
bras & flexus propriæ voluntatis attenderit:
sed si cui obscurior incertiorque videatur ista
experientia de præunte semper delectatione,
credat tantisper (donec istud legitima pro-
batione alibi asseramus) Augustino securissi-
mè pronuntianti de cautis ad volendum concitanti-
bus: *Quis animo amplectitur aliquid, quod cum
non delectat? Aut quis habet in potestate ut vel oc-
currat quod eum delectare possit, vel delectet cum oc-
currerit? Quem admodum igitur nulla volun-
tas, seu volitio ex se potest, nisi delectatione
aliquâ suscitetur, ita nec persistere, nisi delecta-
tione necatur. Neutrum impedit, sed provoca-
cat & efficit arbitrii libertatem. Non enim est
impetus voluntati extraneus, vel intus eam
per modum naturæ quasi brutali impetu concitans,
ut vulgus imaginatur, sed illo pacto
quo solo voluntas excitari & provocari &
perdurare & stabiliri potest, & sine quo non
potest. Est enim modus ejus naturæ, prout
nunc constituta est, prorsus in se ipsa, &
consentaneus. Hæc ergo delectatio licet facit
voluntatem velle, & sine qua non potest velle
quia non lubet, ita facit eam libere velle; &
quemadmodum delectatione illa rationali
sublevata libere vult, ita stabilita libere con-
stanterque permanet, nec permaneret si nollet,
juxta id quod Augustinus dicit: *Voluntas gratiâ
consequitur libertatem, & ut perseveret delectationem
perpetuam & insuperabilem firmitudinem.* Non
enim lubet ei abrumperè voluntatem suam, &
ideo non potest abrumperè, si constanter illa
delectatio perseveret, quia constanter ei non
lubet. Sed hoc breviter tetigisse satis est, quod
alibi ex professo velut certissima Augustina-
na basis pertractavimus. Nunc ad alteram
objectionis partem venimus, quo modo se-
ipsam voluntas etiam comparatione æterni &
beatifici amoris moveat.*

Itaque respondemus, seipsum agere & mo-
vere, dominium quoddam super actum iudi-
cat, ut pro arbitrio sese moveat vel compescat;
alioquin enim quantumvis internum sui mo-
tus principium habeat, agi & moveri potius
quam se-ipsam movere dicitur. Hoc autem
omnino postulat ut super actum suum refle-
ctere possit, non solum appetendo, sed etiam
judicando. Nam sive potestas appetitiva super
se-ipsam sola reflecteretur, sive sola cognitiva,
semper eodem modo istud agens sicut bruta
moveretur vel resfreretur. Hæc ergo pote-
stas reflectendi sese super actum suum, propter
immaterialitatem, qua nulli materiæ alligata
est, objectivæ vastitatem rationi & voluntati
creatura rationalis propria est. Ex ratione ha-
bet, ut possit de fine & medijs judicare ea con-
ferre, utrorumque proportionem expendere &
per hoc ipsum, de proprio suo iudicio judicare,
num rectè judicaverit. Ex voluntate ha-

bet, ut possit non solum appetendo movere, sed
etiam super motum suum se reflectendo velle
movere. Et in hoc propriè sita est potestas mo-
vendi se. Et quia in omni rationali motu sem-
per adest expressè vel tacitè hujusmodi super
se reflexio, semper etiã in omni rationali motu
seu consensu suo movet se ac dominatur sui. Hoc
est igitur propriè quod bruta, pueros, & insen-
sata, deficit. Impetu enim concitantur, & re-
frenantur, non iudicio, & approbante motum
vel quietem suam voluntate: idque sive idem
semper obvium appetant aut fugiant, sive pro
diversis imaginum occurreribus diverfa. Et hoc
est quod Græci communiter vocant liberum
arbitrium *ἀδολύτως*, & indomabile, & inco-
gibile, quia quicquid voluptatis etiam ex cla-
ra Dei visione profluentis, aut timoris, aut
cujuslibet affectus quantumcumque vehemen-
tis in voluntatem incidit, semper arbitrii
superius manet, quia semper de istis tanquam
de preparatorijs ad consentiendum aut dissen-
tendum iudicat hoc ultro & sponte esse vo-
lendum, istud respuendum: & sic facit id quod
ei videtur, id quod ei lubet, id quod ei placet,
quæ propriæ veræ libertatis indicia sunt. Si
vero vehementissime placet aut displicet, ni-
hil mirum si arbitrium vehementissime quo-
que constantissimeque sibi esse volendum aut
nolendum arbitretur. Sic ergo ratio, cum ple-
nissimo, tranquillissimo, serenissimoque judi-
cio iudicat sibi diligendum esse Deum, & se
fanissime iudicare iudicat; voluntas vero
amando, rationem sequi velit, & hoc se velle
velit, & cessare nolit, perfectissime beati se
ipsos movent, & sui actus perfectissimum do-
minium habent. Necessitas enim quæ in actu
apparet, ab ipsa voluntate & domini, & liber-
tatis ejus perfectione proficiscitur, quia ipsa
sibi necessitatem facit, non per modum natu-
ræ, sed perfectissima libertatis movendo &
determinando se. Unde Iuvenalis & Fortiter
de hac ipsa re S. Bonaventura: *Necessitas con-
ditionis repugnat libertati arbitrii, necessitas vero im-
mutabilitatis non: pro eo quod arbitrium dicitur li-
berum, non quia sic velit hoc ut velit eius oppositum,
sed quia omne quod vult, appetit ad sui ipsius impe-
rium, quia sic vult aliquid, ut veli se velle illud, &
ideo in actu volenti se ipsum movet, & sibi domina-
tur, & pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabi-
liter ordinetur ad illud.* Et Ioannes Scotus tra-
ctans, cur actus necessarius non sit naturalis,
sed liber: *Voluntas, inquit, nunquam potest esse
determinata naturaliter ab aliquo agente superiori
&c.* Etposito actu primo, quo voluntas est voluntas,
si ipsa sibi relinqueretur, etsi possit contingenter ha-
bere, vel non habere, hoc velle (id est, sive contin-
genter, sive necessario haberet) tamen se ipsum
determinaret ad hoc velle. Et Henricus à Ganda-
vo: *Voluntas est primum principium movens in si-
nem seipsum &c.* Et hoc convenit ei ex naturali pro-
portione voluntatis, ut cum vult ex se, per se sic
moveatur sicut lapidi quod semper deorsum nitatur.